



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos
Distributa

Illsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCXXIX. De Correctione Fraterna.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

ad vitæ emendationem, ut reparetur Cælestis Patris displicentia de commissa offensa Divina. Hinc etiam crescat Fiducia Auxilij Divini, à DEO Paterna ac promptissima Voluntate conferendi, qui sic unumquemque curat, ac si solum curet; & Filium suum Unigenitum dedit, ut relictis nonaginta novem Ovis in Montibus, id est, longè majori numero Angelorum in Cælo, quæreret Ovem, quæ erravit, scilicet Genus Humanum, quod errore peccati ex Cælestibus ac Paradisi pascuis abductum est.

MEDITATIO CCCXXIX.

De Correctione Fraternali.

Matth. 18.

PUNCTUM I. *Si autem peccaverit in te Frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum. Si te audierit, lucratus es Fratrem tuum.* Matth. 18. v. 15. Doctrinæ de non præbendo scandalo annectit Christus Correctionem Fraternali, tanquam actum Charitatis, scandalo ad peccatum inducenti quodammodo contrarium: modum verò corrigendi istum præscribit. Ut, etiamsi aliquis in te, id est, adversum te peccaverit, ac te offenderit, ipsi non mox offensam exprobres publicè, eumque confundas, non cum illo contendas, non calumniaris, non vindictam sumas, non rancorem in animo geras, nec offensam tacitè animo foveas: sed pacatè & amanter culpæ gravitatem, & justii doloris rationem, cum veniæ paratæ significatione sine dolo & ira exponas. Talis enim meliùs agit, quàm qui tegit altum mente dolorem.

Quòd

Quòd si autem illi, qui te offendit, hæc Fraternalis Correctio & mansueta Charitas exhibenda est; quanto magis alteri, qui non in te, sed coram te, & in conspectu tuo peccatum, absque tua offensione admittit? Præmium hujus Fraternalis Correctionis ingenitum est, si lucreris Animam infinito Pretio à Christo Sapientissimo rerum æstimatore emptam, & si animam Fratris tui per lucrum stabili amicitia tibi adjungas.

PUNCT. II. *Si autem te non audièrit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum.* v. 16. Alterum hoc est in Correctione Fraternali observandum, ut, etiamsi alterius delictum ad alios sit referendum, tamen non referatur ad plures, quàm necesse sit, ne diffametur: referatur autem ad illos, qui vel ratione suæ prudentiæ, vel amicitia, vel quacunque alia ratione juvare possunt: ne media efficaciora, & suaviora negligantur.

PUNCT. III. *Quòd si non audièrit eos, dic Ecclesie.* v. 17. Id est, illi, qui Ecclesiam repræsentat, nempe Rectori illius communitatis, cujus membrum est, qui peccavit. Cùm enim DEVS hominibus in alio potestatem dederit, tum quoad Forum Conscientiæ, ut v. 18. dicitur: *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cælo, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in Cælo:* Tum quoad Forum externum; ideo DEO in ordine ad Correctionem Proximi cooperari debemus, ejusque peccata in hunc finem manifestare Superiori: ipse vero manifestatus debet hanc Correctionem tam à manifestante, quàm à Superiore lubenti & grato animo recipere, tanquam à DEO præscriptam. Vide ergo an non sæpe ex respectu humano hoc medium Correctionis

rectionis Fraternalis neglexeris, vel iniquè ab alijs tibi præstitum tuleris. An etiam præscriptum ordinem servaveris tunc, quando ille erat adhibendus; quando nimirum spes erat, eum ad emendationem profuturum: nam sæpe hic ordo locum non habet, & magis expedit immediatè Superiori delictum Subditi manifestare; quod præsertim in Religiosis Familijs locum habet, ubi Subditi à Superioribus modo paterno reguntur, eorùmque directioni se penitus commiserunt, & ab illis magis, quàm ab æqualibus corrigi malunt.

MEDITATIO CCCXXX.

Continuatio eiusdem Argumenti.

PUNCTUM I. *Si autem Ecclesiam non audièrit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.* Matth. 18. v. 17. Ecce quam graviter Christus aversetur, & veluti noxios, vitandos denunciaret eos, qui Superioribus non obediunt, atque eorum Correctionem ac Disciplinam recusant, & proinde periculo se exponunt, ut veluti membrum noxium ac incurabile separentur, abscindantur, & ab Ecclesia, sive Communitate aliqua Religiosa eijciantur. Tu itaque audi Disciplinam Patris tui; illos verò, qui eidem aures suas occludunt, velut noxios evita, & ab eorum imitatione, velut à superstitione ac errore Gentilium, & velut à Publicanorum rapinis ac fraudibus abhorresce.

PUNCT. II. *Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in Cælis est.* v. 19. Tanta vis est

R

consen-